NVMMVS DICATVS MEMORIÆ CUM DUOBUS ICONICIS LUdovici & Friderici Ducum Wirtenbergicorum: hi antè & poſt Annum Chriſti 1588. ille eo ipſo Anno cuſus.

Um Evangelici Principes monendum Henricum III. Galliæ Regem cenſerent: ne, à Guiſio aliisque confœderatis ſeductus, permitteret, ut minus ijs ſub conditionibus viverent reformatæ religionis homines, quas paulò prius ultrò ipſis largitus fuerat: placuit iſtud legationis munus demandare Friderico Comiti Wirtembergico & Mompelgardenſi: qui in Gallias, cum ſplendidiſſimo comitatu profectus, quo ſolicitius expedivit ea, quæ curæ ſuæ fideique erant concredita: eo majus odium Borbonij, Guiſij, Mœnij, aliorumque in ſe concitavit. Guiſius, profectò, ut vindictæ aliquatenus igniculos reſtingueret, Anno hoc 1588. in comitatum Montisbelgardenſem magno cum exercitu irruit: irruptioni hoc prætendens ſiparium, quod Equitum Navarræorum pulſas è Gallia reliquias, perſequeretur. Sævitum miſerè à milite in oppidanos, inopemque ruſticorum plebeculam: ſtupratæ in conſpectu ſuorum uxores ac liberi; pecora partim abacta: partim pe-